

Et adorabunt eum omnes reges: omnes gentes servient ei. Et. Gloria Patri. Et.

In secundo Nocturno, Antiphona.
De Sion exhibit lex, & verbum Domini de Jerusalem. *Psalmus.* Eructavit, cum sequitur. ut in *Communione Virginum.* lxxxix. *Antia.* Ecce Deus noster, expectavimus eum, & salvabit nos, alleluia. *Psalmus.* Deus noster refugium. *Antiphona.* Dominus veniet, occurrite illi, dicentes: Magnum principium, & regni ejus non erit finis, Deus, Fortis, Dominator, Princeps pacis, alleluia. *Psalm.* Magnus Dominus. *Ps.* Egrediatur virga de radice Jesse. *Ps.* Et flos de radice ejus ascendet. Sermo Sancti Ildephonsi Archiepiscopi Toletani.

Ex libro de Virginitate Mariae.
Lectio iv.
Domina mea, atque dominatrix mea, dominans mihi, Mater Domini mei, ancilla Filii tui, Genitrix factoris mundi, te rogo, te oro, te queso, ut habeam spiritum Domini tui, spiritumque Filii tui, nec non & spiritum Redemptoris mei, ut de te vera & digna sapiam, vera & digna loquar, vera & digna quaecumque sunt, diligam. Tu enim es electa a Deo, assumpta a Deo, advocata a Deo, proxima Deo, adhaerens Deo, conjuncta Deo: visitata ab Angelo, salutata ab Angelo, benedicta ab Angelo, salutata in sermone, antonia in cogitatione, stupefacta in salutatione, admirata in dictorum annuntiatione.

R. Ecce virgo concipiet, & pariet filium, dicit Dominus: *R.* Vocabitur nomen ejus Admirabilis, Deus, Fortis. *V.* Super solum David, & super regnum ejus sedebit in aeternum. Et.

Lectio v.

*I*nvenisse te apud Deum gratiam audis: & ne timeas, jubéris. Unde & tu fiducia roboraris, cognitione miraculorum instrueris, ad novitatem inaudite glorie provéheris. De prole ab Angelo nuntiata es; & post factum integra & pudica manes. Certa virginitas nobis proponitur, & nasciturum ex te sanctum Dei Filium, tibi ab Angelo evangelizatur, & quae sit nascentis Regis potentia, mirabiliter intimatur. Quomodo fiat, quæris? de origine interrogas? de ratione perscrutaris? de experientia requiris? de ordine sciscitaris? Audi inauditum oraculum, considera inusitatum opus, admiravérte incognitum arcana, attende invisum factum: Spiritus Sanctus supervéniet in te, & virtus Altissimi obumbrabit tibi.

R. Rorate caeli desuper, & nubes pluant justum: *R.* Aperiatur terra, & germinet Salvatorem. *V.* Emitte Agnum Domine Dominatorem terræ, de petra desérti ad montem filiae Sion. Aperiatur.

Lectio vi.

*T*ota invisibiliter Trinitas conceptionem operabitur in te. Sola persona Filii Dei in corpore tuo nascitura carnem assumet de te. Ideoque quod concipietur ex te, quod nascetur ex te, quod prodiet ex te, quod germinabitur ex te, quod parturietur ex te, Sanctum, vocabitur Filius Dei. Erit enim hic magnus, hic Deus virtutum, hic Rex omnium seculorum, hic Factor omnium rerum. Ecce beata tu inter mulieres, integra inter puerperas, Domina inter ancillas, Regina inter sorores. Ecce, ex hoc beatam te dicent omnes generationes: beatam te novérunt omnes coeléstes Virtutes: beatam te predicant omnes

Va-

Vates: beatam te celebrant omnes nationes. Beata tu fidei nostrae, beata tu animae nostrae, beata dilectioni nostrae, beata praecognitionis & praedicationibus meis.

R. Docébit nos Dominus vias suas, & ambulavimus in semitis ejus: *R.* Quia de Sion exhibit lex, & verbum Domini de Jerusalem. *V.* Venite, ascendamus ad montem Domini, & ad domum Dei Jacob. Quia de Sion, Gloria Patri. Quia.

In tertio Nocturno, Antiphona.
Dominus dabit benignitatem, & terra nostra dabit fructum suum. *Psalmus.* Benedixisti, cum sequitur. *inter Psalmos Feria sextae ad Martiniolum 80. Antia.* Ecce veniet Deus & homo de domo David sedere in throno, alleluia. *Psalmus.* Fundamenta ejus. *81. Antia.* Annuntiate populus, & dicite: Ecce Deus Salvator noster veniet. *Psalm.* Cantate. *1. 84. V.* Egrediatur Dominus de loco sancto suo. *R.* Veniet ut salvet populum suum.

Si hoc Festum venerit in Feria quarta Quatuor Temporum Adventus, loco sequentis Homiliae leguntur tres Lectiones Homiliae ejusdem Ferie quartae, cum Responsoris quae hic assignantur.

Lectio sancti Evangelii secundum Lucanum.

Lectio vij. Cap. 1. c.

*I*n illo tempore: Missus est Angelus Gabriëlae Deo in civitatem Galilææ, cui nomen Nazareth, ad Virginem desponsatam viro, cui nomen erat Joseph, de domo David, & nomen Virginis Maria. Et reliqua. Homilia venerabilis Bedæ Presbyter. *Ex Evang. Luc. cap. 1. & in Homiliis hyemalibus de Tempore, Feria quarta Quatuor Tempor. mensis Decembris.*

*A*d Marlam Virginem Gabriël mittitur, qui Dei Fortitudo nominatur. Illum quippe nuntiare

veniebat, qui ad debellandas aereas potestates humilis apparere dignatus est. De quo per Psalmistam dicitur: Dominus fortis & potens, Dominus potens in praelio. Et rursum: Dominus virtutum ipse est Rex glorie, Per Dei ergo fortitudinem nuntiandum erat, qui virtutum Dominus, & potens in praelio, contra potestates aereas ad bella veniebat. Et ingressus Angelus ad eam dixit: Ave gratia plena: Dominus tecum: Benedicta tu in mulieribus. Bene gratia plena vocatur, quæ nimirum gratiam, quam nulla alia meretur, asséquitur: ut ipsum videlicet gratia concipiat & generet autorem.

R. Ave Maria, gratia plena: Dominus tecum: Spiritus Sanctus supervéniet in te, & virtus Altissimi obumbrabit tibi: quod enim ex te nascetur Sanctum, vocabitur Filius Dei. *V.* Quomodo fiet istud, quoniam virum non cognosco? Et respondens Angelus dixit ei. Spiritus.

Lectio viij.

*E*cce concipies in utero, & paries filium, & vocabis nomen ejus Jesum. Jesus Salvator, sive salutaris interpretatur: cujus sacramentum nominis alloquens Joseph Angelus exposuit: Ipse enim (inquens) salvum faciet populum suum à peccatis eorum. Non ait populum Israël, sed populum suum, hoc est, in unitatem fidei ex præpatione & circumcissione vocatum, quibus ex diversa parte vocatis, fieret unus pastor & unum ovile. Hic erit magnus, & Filius Altissimi vocabitur, & dabit illi Dominus Deus sedem David patris ejus. Idem ergo Filius Altissimi, qui in utero virginis conceptus & natus est. Idem homo in tempore creatus ex Matre, qui Deus est ante tempora natus ex Patre. Si autem idem homo qui

Xxx 2 Deus

Deus est, omitat Nestórus, hóminus tantúm dicere ex Virgine natum.

R. Suscipe verbum Virgo Maria, quod tibi à Dómino per Angelum transmissum est: concipies & páries Deum páriter & hóminem: Ut benedicta dicáris inter omnes mulieres. **V.** Páries quidem filium, & virginitátis non patiéris detrimentum, efficiéris mater, & eris Mater semper intacta. Ut. Glória Patri. Ut.

Lectio ix.

Ideoque & quod nascetur ex te Sanctum, vocabitur Filius Dei. Ad distinctionem nostræ sanctitatis, Jesus Sanctus singulariter nasciturus assertur. Nos quippe, etsi sancti efficiamur, non tamen nascimur, quia ipsa natura corruptiónis conditione constringitur, ut mérito cum Prophéta geméntes singuli dicamus: Ecce enim in iniquitatibus conceptus sum, & in delictis péperit me mater mea. Ille autem solus veraciter sanctus est, qui ut ipsam conditionem naturæ corruptibilis vinceret, ex commixtione carnális cópula conceptus non est. Sanctum, inquit, vocabitur Filius Dei. Quid hic dicis Nestoriáne, qui beatam Mariam Dei negans esse Genitricem, aperte niteris impugnare veritatem? Ecce Deus dixit superventurum, Dei Filium nasciturum. Quomodo ergo aut Dei Filius Deus non est, aut que Deum edidit, quomodo Theótocos, id est, Dei Genitrix non esse potest? Te Deum laudamus. 13.

AD LAUDES,
& per Horas, Antiphona.

Missus est Gabriél Angelus ad Mariam Virginem desponsatam Joseph. **Psalm.** Dóminus regnavit, cum reliquis de Dominica. 14. **Ant.** Ave Maria, grátia plena: Dó-

minus tecum: Benedicta tu in mulieribus, alleluia. **Ant.** Ne timeas Maria, invenisti grátiam apud Dóminus: ecce concipies, & páries filium, alleluia. **Ant.** Dabit ei Dóminus sedem David patris ejus, & regnabit in aeternum. **Ant.** Ecce ancilla Dómini: fiat mihi secundum verbum tuum.

Capitulum.

Isaia 11.

Egrediétur virga de radice Jesse, & flos de radice ejus ascéndet, & requiescet super eum Spiritus Dómini.

Hymnus.

EN clara vox redárguit, Obscúra quæque personans: Procél fugéntur sómnia: Ab alto Jesus prómicat. Mens jam resurgat tórpida, Non amplíus jacens humi: Sidus refulget jam novum, Ut tollat omne nóxium. En Agnus ad nos mittitur. Laxáre gratis débitum: Omnes simul cum lacrymis Precémur indulgéntiam: Ut, cum secúndo fulserit, Méritque mundum cinxerit, Non pro reatu púniat, Sed nos pius tunc prótegat. Virus, honor, laus, glória Deo Patri cum Filio, Sancto simul Paráclito, In sæculórum sæcula. Amen. **V.** Spiritus Sanctus supervéniet in te. **R.** Et virtus Altissimi obumbrábit tibi.

Ad Benedictus, Antiphona.

Super sólium David, & super regnum ejus sedébit in aeternum.

Oratio.

DEus, qui de beatæ Mariæ Virginis útero Verbum tuum, Angelo nuntiante, carnem suscipere voluisti: presta supplicibus tuis; ut qui verè eam Genitricem Dei crédimus, ejus apud te interces-

cessiónibus adjuvémur. Per eúdem Dóminum, &c.

Deinde fit Commemoratio Ferie.

Ad Primam in **R.** brevi dicitur **V.** Qui venturus es in mundum.

Ad Tertiam, **Ant.** Ave Maria.**Capitulum.** Egrediétur virga, ut sup.**R.** breve. Tu exurgens Dómine,**Miseréberis** Sion. Tu exurgens.

V. Quia tempus miseréndi ejus, quia venit tempus. Miseréberis. Glória Patri. Tu exurgens. **V.** Rorate cœli désuper, & nubes pluant justum. **R.** Aperiátur terra, & gérmínet Salvátorem.

Ad Sextam, Antiphona.

Ne timeas Maria.

Isaia 7. c

Ecce virgo concipiet, & páriet filium, & vocabitur nomen ejus Emmanuel. Butyrum & mel comédet, ut sciat reprobare malum, & eligere bonum.

R. Rorate cœli désuper. **V.** Et nubes pluant justum. Rorate cœli.

V. Aperiátur terra, & gérmínet Salvátorem. Et nubes. Glória Patri. Rorate. **V.** Emitte Agnum Dómine dominátorem terræ. **R.** De petra déserti, ad montem filia Sion.

Ad Nonam, Antiphona.

Ecce ancilla Dómini.

Capitulum.

Isaia 45. b

Rorate cœli désuper, & nubes pluant justum: aperiátur terra, & gérmínet Salvátorem: & justitiam oriátur simul: Ego Dóminus creavi eum.

R. breve. Emitte Agnum Dómine,

Minatorem terræ. Emitte.

V. De petra déserti ad montem filia Sion. Dominátorem terræ. Glória Patri. Emitte. **V.** Spiritus Sanctus supervéniet in te. **R.** Et virtus Altissimi obumbrábit tibi.

Insecúndis Vesperis, Antiphona.

Missus est Gabriél Angelus ad Ma-

riam Virginem desponsatam Joseph. **Psalm.** Dixit Dóminus, cum reliquis ut in Officio parvo B. Mariæ Virginis, cxxiv. & loco ultimi, **Psalmus** Meménto Dómine David. 100. **Antiphona.** Ave Maria, grátia plena: Dóminus tecum: Benedicta tu in mulieribus, alleluia. **Antiphona.** Ne timeas Maria, invenisti grátiam apud Dóminum: ecce concipies, & páries filium: alleluia. **Antiphona.** Dabit ei Dóminus sedem David patris ejus, & regnabit in aeternum. **Antiphona.** De fructu ventris tui ponam super sedem tuam.

Capitulum, **Hymnus**, & **V.** ut in primis Vesperis. 33.

Ad Magnificat, Antiphona.

O Virgo virginum, quomodo fiet istud? quia nec primam similem visa es, nec habere sequentem. Filia Jerusalem, quid me admiramini? Divinum est mysterium hoc quod cernitis.

Oratio. Deus, qui de beatæ, ut supra. 38.

Pro Commemoratione Adventus, Antiphona. O.

DIE XX. DECEMBRIS.

In Festo S. Dominici Sylensis Abbat. Duplex.

Omnia de Comuni Confessoris non Pontificis, lxxij. præter sequentia.

Oratio.

DEus, qui Ecclésiám tuam beati Dominici Confessoris tui præclaris vitæ méritis decorásti, & in liberandis captivis gloriosis latificasti miraculis: concede nobis famulus tuis; ut & ipsius instruatúr exémples, & ab omni vitiorum servitute ejus patrocinio liberémur. Per Dóminum nostrum, &c.

In primo Nocturno, Lectiones de Scriptura occurrente.

In secundo Nocturno.

Lectio iv.

Dominicus Abbas honestis parentibus natus est Cannis, oppidulo ad radices Jubedæ montis in Cantabris. Quem ab ipsa pueritia mirus monastica vite ardor occupavit: adeo, ut relicta gregis paterni cura, in solitudinem secesserit. Sed cum parum ei tuta videretur illa solitudo, in signe Sancti Emilianii Cœnobium adiit: ubi cum diu sub habitu, & disciplina monastica vixisset, magnâ sanctitatis opinione Ecclesiæ Cannarum regendæ præficitur. Inde in Cœnobium Sancti Emilianii revocatus, Prior efficitur. Verum dum Cantabrûm Regi, quædam ad Cœnobio injuste exigenti, constantissime resistit, ab eodem in Jubedæ montis insivia duobus Mönachis comitibus actus est. Qui ejus furori cedere cupiens, ad Ferdinandum Castellæ, & Legionis Regem, nominis ejus primum, se contulit. Qui viri Dei sanctitate motus, illum ad se adveniens benigne, & honorifice excepit, & Cœnobio Sancti Sebastiani præesse voluit, addito ab Episcopo Diocesano Abbatis titulo.

E Honestum fecit illum Dominus, & custodivit eum ab inimicis, & a seductoibus tutavit illum: **¶** Et dedit illi claritatem æternam. **¶** Justum deduxit Dominus per vias rectas, & ostendit illi regnum Dei. Et dedit.

Lectio v.

Erat autem ipse locus infrequens, utpote qui sterilibus quibusdam Jubedæ montis collibus subjaceat, quia mons ipse Celtiberos tangit. At claritate miraculorum, quæ quotidie per servum suum Dominicum operabatur Deus, tam celebris, ac frequens fuit

est, ut eo tempore per Hispaniam nullus illustrior esset. Nulla enim ferme morborum genera erant, quæ Dominici precibus ab hominum corporibus non pellerentur. Unde Cœnobio in augustiorem formam erecto, magno etiam Monachorum numero coaluit, Regibus, ac populis multa illi certamina offerentibus. Quin etiam singularem privilegio servum suum insignivit Dominus, ut Christiani, qui apud Mahometanos vincit multis ferri ponderibus tenebantur, invocato Dominico, liberarentur.

E Amavit eum Dominus & ornavit eum: stolam gloriæ induit eum, **¶** Et ad portas paradisi coronavit eum. **¶** Induit eum Dominus loriceam fidei, & ornavit eum. Et ad portas.

Lectio vi.

Demum gravi morbo correptus, Ecclesiæ Sacramentis devotissime susceptis, migravit ad Dominum anno Domini millesimo septuagesimo quarto. Eo autem die, quo migravit à corpore, visa est à pueris quibusdam illius anima triplici coronâ decorata in cœlum subvolare. Corpus verò ejus in eodem Cœnobio conditum hodie cernimus, quod Sanctum Dominicum de Sylos appellamus. Ad cuius sepulchrum orans Joana Felicitis Guzman uxore, olim infecunda, filium impetravit, cui sancti hujus viri propterea nomen imposuit. Quod quidem ipse mirâ vite sanctitate, sacroque Predicatorum Ordine instituto, multo reddidit illustrius, quam accepit.

¶ Iste homo perfecit omnia, quæ locutus est ei Deus, & dixit ad eum: Ingrederere in requiem meam: **¶** Quia vidit justum coram me ex omnibus gentibus. **¶** Iste est qui contempsit

vi-

vitam mundi, & pervenit ad cœlestia regna. Quia te vidi. Gloria Patri. Quia te vidi.

Lectiones tertii Nocturni, Homilia in Evangelium. Ecce nos reliquimus omnia, de Communi Abbatum. lxxxiiij.

Si occurrat in Feria Quatuor Temporum, dicitur ix. lectio de Homilia. In Laudibus fit Comm. Fer.

Vespera de sequenti, Commemoratio præcedentis, & Feria.

DIE XXIII. DECEMBERIS.

In Festo B. Nicolai Factoris, Confessoris, Sacerdotis Professi Ordinis Minorum de Observantia Sancti Francisci. Duplex.

Omnia de Communi Confessoris non Pontificis, lix. præter sequentia.

Oratio.

Deus qui beatum Nicolæum Confessorem tuum ineffabili charitatis tuæ igne succensum, te puro corde sectari fecisti: da nobis famulis tuis; ut eorum spiritu repleti, & charitate ferventes, viam mandatorum tuorum in offenso pede eurramus. Per Dominum, &c.

Deinde fit commemor. Feriæ occurrent.

In primo Nocturno Lectiones de Scriptura occurrente.

At si venerit in Sabbato iv. Temporum, de Communi Confessoris non Pontificis 2. loco.

In secundo Nocturno.

Lectio iv.

Nicolæus Valentia Edetanorum piis parentibus ortus, ab infante ætate præclara futuræ sanctitatis edidit documenta. Quinque enim annos natus, ter singulis heb-

dômadis jejunabat, pane tantum, & aquâ contentus; obsonia sibi parata alacriter pauperibus elargiebatur; atque egenorum, & leprosoꝝ manibus, tibisque, sanè licet manantibus, pia oscula dabat. Quibus sanè, aliisque christiânæ perfectionis exemplis famula domus Maicra commota, Mahumeticam ejuravit superstitionem. Adolenscens agrorotus in nosocomiis crebro invisebat, propriis ipse manibus illis inserviebat; omnique studio nobiles Viros, ac Matrônas Civitatis ad id operis alliciebat. Quæ, & alia miranda pietatis & charitatis opera, in quibus mirifice enituit, ad mortem usque nunquam dimisit. Mundi, suique contemptor, pecuniæ summam ei ad connubium oblata strenuè recusavit: ac parentum blandimentis ipsum in matrimonium collocare adnitentium invicta constantia restitit. Exinde de regulari aliquo Instituto amplexendo serio cogitare cepit. Itaque Observantia Sancti Francisci nomen dare decernens, ad Cœnobium S. Mariæ à Jesu Valentia clanculum secessit, ibique non tam precibus, quam lacrymis à Superiore habitum obtinuit. Tyrocinio exacto, professionem emisit; sacrisque Ordinibus initiatus, Verbi Dei prædicationi totum se dedit.

E Honestum fecit illum Dominus, & custodivit eum ab inimicis, & a seductoibus tutavit illum: **¶** Et dedit illi claritatem æternam. **¶** Justum deduxit Dominus per vias rectas, & ostendit illi regnum Dei. Et dedit.

Lectio v.

E Lucèbat in eo summa vite innocentia, comitas, verecundia: ob quas egregias animi dotes difficile dictu est, quot ad meliorem

Xxx4

rem frugem traduxerit, quotque è vitiorum cœno ad viam salutis revocaverit. Ad hac priusquam in concionem ascenderet, ter flagris se cedere consuevit. Diris subinde ciliis, flagellis, ac jejuniis corpus suum continuè macerabat, nullique umquam peperit afflictioni ad pravas affectiones colibendas. Nudis semper pedibus incēssit: cogente verò morbo, subjectâ obtectus sôleâ, ac simplici contētus tunicâ. Noctes sæpè insomnes tradidit: ac pro eo, quo erga Jesu Christi Passionem æstuat, amore, binos integros annos ad Crucifixi pedes excubasse, memoriæ est pròditum. Vultus ejus, etsi penitentiâ attritus, singulari tamen Dei gratiâ vègetus semper, & ventus apparuit. Obedientiâ, paupertate, & pudicitia emicuit, nitidamque conscientiam suam, quam nullâ mortali labe unquam fœdassee perhibetur, non modo sartam rectam servavit; sed dæmonem etiã specie mulieris formosæ indignis modis ad eam labefactandam turpiter ei insidiantem, vimque facientem vicit, ac profligavit. Tyrõnes, quibus præfuit, verbo, atque exēplo, ad perfectionem evehere sèdulo curavit. Truculentis desperatisque hominibus necem sibimetipsis suspēdendo inferre conantibus superno lumine affatus præstò adstitit, è mortis limine faucibusque dæmonis liberavit, & ad criminis confessionem adduxit. Sanctis Ludovico Bertrando, & Paschali Baylon, aliisque Viris doctrinâ, & sanctitate conspicuis fuit acceptissimus, & ab iisdem ob vitæ sanctimoniam summis laudibus celebratus.

R. Amavit eum Dominus, & ornavit eum: stolam gloriæ induit eum. **V.** Et ad portas paradisi coronavit eum. **V.** Induit eum Dominus lori-

cam fidei, & ornavit eum. Et ad portas.

Lectio vi.

A Joãna Austriaca Philippo II. sorore Matritum accitus, Excalceatârum Monialium, quas vocant Regalium, Confessarii munus laudabiliter oblit. Oratiõni, & meditationi jûgiter addictus, non semel à terra elevatus visus fuisse dicitur, ac frequētes adeo extases passus, ut interdum viginti quatuor horas in raptu deprehensus, diuque, noctuque passim, & ubique locorum ejusmodi deliciis perfrueretur, facie ut plurimum inflammata, luce ex ea irradiante, & urēntibus etiã carnibus. Idque frequentius ei contingebat in meditandis sacris Fidei Mysteriis: potissimum verò oriebatur ex ferventissimo amore, quo erga Sacratissimam Eucharistiam flagrabat: quare aliquando inter Eucharisticum Panem distribuendum non solum miris extasis extra se rapti, verum & Sacras Formas ad digitos suos saltare raro quidem prodigio observatum perhibetur. Singulari in Deum amore, ac in Virginem Matrem pietate effulsit, plurimisque supèrnis charismatibus fuit exornatus. Meritis tandem, & laboribus plenus in morbum incidit; ac satis memorando humilitatis exēplo, in stâbulo humari, senel iterumque efflagitavit, proximique obitûs accepto nuntio, hilari animo in illa verba prorupit: Lætatus sum in his, quæ dicta sunt mihi. Sacramētis item Ecclesiæ ritè munus, placidissime obit Valentie extra mœnia in Convēntu Jesu. Defuncti cadaver flexile, vègetum, ac suavem spirans odorem, novem dies, ut fidellum concursu fieret satis, insepultum remansit. Triennio post exhumatum, integrum adhuc fuit inventum, ac Philippo II.

Hi-

Hispaniarum Regi conspiciendum exhibitum est. Postrémò Dei serum miraculis etiã clarum Pius Sextus Pontifex Maximus solènni ritu Beatorum fastis adscripsit.

R. Iste homo perfecit omnia, quæ locutus est ei Deus, & dixit ad eum: Ingrédere in requiem meam: Quia te vidi justum coram me ex omnibus gentibus. **V.** Iste est qui contempsit vitam mundi, & pervenit ad cœlestia regna. Quia. Glória Patri. Quia.

In tertio Nocturno Homilia in Evangelium Sint lumbi vestri, de eodem Communi.

In Laudibus fit Commemor. ferie. **Añ.** Ecce completa.

In ij. Vesperis fit Commem. ferie. **Añ.** O Emmanuel.

Si Festum Nativitatis Domini, S. Stephani, S. Joannis Evangeliste, SS. Innocentium, & eorum dies Octavæ venerint in Dominica, ipso die nihil fit de Dominica, sed die Translationis S. Jacobi Apostoli fit Commemoratio de ea in utrisque Vesperis & in Laudibus (ut infra) post Commemoratiorem cujuslibet Festi, tam præcedentis, quam cum ea occurrentis, de quo fit Officium, & ante omnes Octavas cum ix. Lectione, ut in Breviario. 208.

Si Festum S. Thomæ Cantuariensis venerit in Dominica, fit de ea, & Festum S. Thomæ transfertur in Vigiliam Epiphaniæ, ex concess. Gregorii XIII. pro Hisp. Regnis. Et in Sabbato ad Vesperas post Oratiorem SS. Innocentium, dicitur **Añ.** **V.** & Oratio quæ infra habetur, & deinde fit Commemoratio Octavarum. Idem fit in Laudibus. In ij. Vesperis post Oratiorem S. Jacobi fit Commemoratio Dominicæ. **Añ.** **V.** & Oratio habetur infra.

Si Dominica venerit in Festo Translationis S. Jacobi, fit Commem-

moratio de ea (ut infra habetur) in utrisque Vesperis & in Laudibus (cum ix. Lectione, ut supra.) sed in j. Vesperis ante Commemoratiorem S. Thomæ & Octavarum; & in ij. Vesperis post Commemoratiorem S. Silvestri, & ante omnes Octavæ.

Si vero Dominica venerit in Festo S. Silvestri, solum fit Commemoratio Dominicæ in j. Vesperis & in Laudibus ante omnes Octavas cum ix. Lectione, ut supra.

COMMEMOR. DOMINICÆ.

In primis Vesperis, ad Magnificat, & ad Benedictus, Antiphona. Dum médium siléntium tenent omnia, & nox in suo cursu médium iter perageret, omnipotens sermo tuus Domine à regalibus sedibus venit, allelûa.

V. Verbum caro factum est, allelûa.

R. Et habitavit in nobis, allelûa. Oratio.

Omnipotens sempiternè Deus, dirige actus nostros in benedictio tuo; ut in nomine dilecti Filij tui mereamur bonis operibus abundare. Qui tecum vivit & regnat, &c.

In secundis Vesperis.

Ad Magnificat, Antiphona.

Puer Jesus proficiebat ætate, & sapientia coram Deo, & hominibus.

V. Et Oratio, ut supra.

DIE XXX. DECEMBRIS.

In Festo Translationis Sancti Jacobi Apostoli, & Hispaniarum Apostoli & Patroni.

Duplex majus.

In utrisque Vesperis, Antiphona. Tecum principium, cum reliquis Antiphonis & Psalmis ex secundis Vesperis Nativitatis Domini.

Capitulum. 1. Cor. 4. 6

Fratres, Puto quod Deus nos Apostolos novissimos ostendit, tam-

tamquam morti destinatos: quia spectaculum facti sumus mundo, & Angelis, & hominibus.

Hymnus.

Defensor alme Hispanie
Jacobe, vindex hostium,
Tonitruum quem filium
Dei vocavit Filius:

Huc cœli ab altis sedibus
Converte dexter lumina,
Aunque læti debitas
Grates tibi quas solvimus.

Grates refert Hispania,
Felix tuo quæ nomine
Te gloriatur iugiter
Dignata sacris ossibus.

Tu, cæca nox atque impia
Nos cum teneret vanitas,
Lucem salutis primitus
Oris Iberis impetras.

Tu, bella cum nos cingerent,
Es visus ipso in prælio,
Equoque & ense acerrimus
Mauros furentes sternere.

Freti tuo nos pignore,
Largum tuo te munere
Rogamus omnes, ut tuæ
Spe prætegas præsentia.

Jesu tibi sit gloria,
Qui natus es de Virgine,
Cum Patre, & almo Spiritu,
In sempiterna sæcula.

Amen.

V. In omnem terram exivit sonus eorum. **R.** Et in fines orbis terræ verba eorum.

Ad Magnificat, Antiphona.

Misit Herodes rex manus, ut affligeret quosdam de Ecclesia: occidit autem Jacobum fratrem Joannis gladio.

Oratio.

Deus, qui dispositione mirabili corpus beati Jacobi Apostoli tui de Jerosolymis ad Hispaniam transferri, & in Compostella gloriose sepeliri voluisti: concede quaesumus; ut ejus meritis & præ-

stibus in cœlesti Jerusaleme colloqui mereamur. Per Dominum, &c.

Deinde fit Commemoratio Dominice (si facienda sit juxta superiorem Rubricam) S. Thomæ, si non contingat transferri ad Vigiliam Epiphaniæ, juxta Proverbia Gregorii XIII. in principio appositum & Octavarum.

Ad Matutinum, Laudes, & per Horas, omnia ut in Festo xxv. Julii præter ea, quæ hic habentur propria, & in Laudibus Commemoratio Octavarum.

In primo Nocturno.

De Epistola prima beati Pauli Apostoli ad Corinthios.

Lectio i.

Sic nos existimet homo, ut ministros Christi, & dispensatores mysteriorum Dei. Hic jam queritur inter dispensatores, ut fidelis quis inveniatur. Mihi autem pro minimo est ut à vobis judicet, aut ab humano die: sed neque me ipsum judico. Nihil enim mihi conscius sum: sed non in hoc justificatus sum: qui autem judicat me, Dominus est. Itaque nolite ante tempus judicare, quoadquisque veniat Dominus: qui & illuminabit abscondita tenebrarum, & manifestabit consilia eorum: & tunc laus erit unicuique à Deo.

R. Procedens Jesus juxta mare Galilææ, vidit duos fratres, Jacobum Zebedæi, & Joannem fratrem ejus, in navi. Et vocavit eos; qui statim relictis retibus, & patre, secuti sunt Dominum. **V.** Erant Jacobus, & Joannes fratres in navi cum Zebedæo patre eorum, reficientes retia sua. Et vocavit.

Lectio ij.

Hæc autem, fratres, transfiguravi in me & Apollo, propter vos: ut in nobis discatis, ne supra quam scriptum est, unus adversus alterum inflatur pro alio. Quis

quis enim te discernit? Quid autem habes quod non accepisti? Si autem accepisti, quid gloriaris quasi non acciperis? Jam saturati estis, jam divites facti estis: sine nobis regnatis: & utinam regnetis, ut & nos vobiscum regnemus. Puto enim quod Deus nos Apostolos novissimos ostendit, tamquam morti destinatos: quia spectaculum facti sumus mundo, & Angelis, & hominibus.

R. Vocavit ad se Dominus Jacobum Zebedæi, & Joannem fratrem Jacobi, & fecit ut essent secum inter duodecim, & ut mitteret eos predicare. Et imposuit eis nomina, Boanerges, quod est, filii tonitruum. **V.** In omnem terram exivit sonus eorum, & in fines orbis terræ verba eorum. Et imposuit.

Lectio iij.

Nos tulti propter Christum, vos autem prudentes in Christo: nos infirmi, vos autem fortes: vos nobiles, nos autem ignobiles. Usque in hanc horam & esurimus, & sitimus, & nudi sumus, & colaphis cedimur, & instabiles sumus, & laboramus operantes manibus nostris: maledicimur, & benedicimur: persecutionem patimur, & sustinemus: blasphemamur, & obsecramus: tamquam purgamenta hujus mundi facti sumus, omnium peripsæma usque adhuc. Non ut confundam vos, hæc scribo, sed ut filios meos charissimos moneo. Nam si membra pædagogorum habeatis in Christo, sed non multos patres. Nam in Christo Jesu per Evangelium ego vos genui.

R. Cum venisset Jesus in domum principis Synagogæ, Non permittit intrare secum quemquam, nisi Petrum, & Jacobum, & Joannem, & patrem, & matrem puellæ. **V.** Et dixit: Nolite flere: non est mor-

tua puella, sed dormit. Non Glória Patri. Non permittit.

In secundo Nocturno.

Lectio iv.

Compostellanae Ecclesiae monumentis traditur, Sancti Jacobi Zebedæi filii corpus ex urbe Jerosolyma per vastissimum mare, singulari Dei providentiâ advectum, ad extrêmas Hispaniæ oras appulisse. Cùmque in Iria Flaviæ (quod est Gallæciæ oppidum) portu primùm constitisset, non longè ab eo portu, in loco qui nunc Compostella dicitur, cõditum, ob frequentes persecutiones, longo tempore latuisse. Sacrum hunc thesaurum Alphõnsus Rex Legionis, qui ob insignem pudicitiam Castus dicitur est, divinitus indicatum, idem Rex insigni Basilicâ, aliisque donis exornavit.

R. Assumpsit Jesus Petrum, & Jacobum, & Joannem fratrem ejus, & duxit illos in montem excelsum seorsum. Et transfiguratus est ante eos. **V.** Et ecce apparuerunt illis Moyses & Elias cum eo loquentes. Et transfiguratus.

Lectio v.

Abo tempore, multis magnisque miraculis Sancti Jacobi memoria nobilitari cœpta est. Ipse etiam gloriosus Apostolus in difficillimis præliis palam se conspicendum præbens, Hispanos adversus infideles pugnantem mirifice juvit. Quare factum est, ut universa Hispania Sanctum Jacobum præcipuum sibi Patronum divino munere concessum, adsciverit, & usque ad hanc diem in primis colerit. Ceterum tanti Apostoli crebra miracula non modò intra Hispaniâs, sed in omnibus etiam Christianis provinciis celebrata, fecerunt, ut quemadmodum Jerosolymam ad sepulchrum Domini, & Romam ad Apos-

tolórum límina; sic etiám Compostellam, ad Sancti Jacóbi reliquias undique cónfluant, religiósionis & voti causá, ex toto Christiano orbe peregrini.

P. Potestis bibere cálicem, quem ego bibo? aut baptismo, quo ego baptizor, baptizari? dixit Jesus

Jacóbo & Joánni filijs Zebedæi.

A. At illi dixerunt ei: Póssumus.

P. Cálicem quidem, quem ego bibo, bibétis; & baptismo, quo ego baptizor, baptizabimini. At illi.

De Expositione Sancti Augustini
Episcopi super Psalmum octogésimum sextum.

Lectio vj.

Fundaménta ejus in móntibus sanctis, diligit Dóminus portas Sion. Quare sunt fundamenta Apóstoli & Prophétæ? Quia eórum auctoritas portat infirmitatem nostram. Quare sunt portæ? Quia per ipsos intrámus ad regnum Dei. Prædicant enim nobis: & cum per ipsos intrámus, per Christum intrámus. Ipse est enim janua. Et cum dicuntur duodecim portæ Jerusalem, & una porta Christus, & duodecim portæ Christus, quia in duodecim portis Christus: & ideó duodenárium número Apostolorum. Sacraméntum magnum hujus duodenárit significationis est número. Sedebátis, inquit, super duodecim sedes, judicantes duodecim tribus Israel.

R. Assumpsit Jesus Petrum, & Jacóbum, & Joánnem secum, & cepit pavere, & tædere. Et ait illis: Tristis est ánima mea usque ad mortem. Sustinete hic, & vigilate mecum. Et ait illis. Glória Patri. Et ait illis.

In tertio Nocturno.

Lectio sancti Evangélii secundum Matthæum.

Lectio vij. *Cap. 20. c.*

In illo tempore: Accessit ad Jesum mater filiorum Zebedæi cum filiis suis, adorans & petens aliquid ab eo. Et reliqua.

Homilia Sancti Joánnis Chrysóstomi.

Homilia 66. in Matthæum.

Non turbetur quisquam, si adedó imperfectos dicimus Apóstolos fuisse: nondum enim mysterium crucis erat consummátum, nondum grátia Spiritús in corda ipsórum infusa. Quod si virtutem ipsórum discere cupis, quales post datam grátiam Spiritús fuerint, considera, & vidébis omnem ab illis perversam affectionem fuisse superatam. Hac enim de causa eórum modó imperfectio revelatur, ut apertè percipere possis, quales subitò per grátiam effecti fuerunt. Quod igitur nihil spiritale petebant, nec de cælesti regno quidquam cogitabant, perspicuum est. Sed tamen inspiciamus etiám quomodo accedant, & quid dicant. Vólumus, inquit, ut quodcumque petierimus, facias nobis. Ad quod Christus: Quid vultis? respondit non ignórans certè, sed ut eos responderé cogat, & ulcus détegat, & ita medicamentum appónat.

R. Misit Heródes rex manus, ut affligeret quosdam de Ecclésiá: Occidit autem Jacóbum fratrem Joánnis gládio. **P.** Ecce ego mitto ad vos Prophétas, & sapientes, & Scribas; & ex illis occidétis. Occidit autem.

Lectio viij.

Illi veró cum erybescerent, & veneciándi prohiberéntur, quóniam humano affectu eo devenerant, seorsum ab alijs discipulis Christum

ac-

accipiéntes interrogavérunt. Progressi sunt enim, inquit, ne illis manífesti fierent: & ita demum ea quæ volébant, dixerunt. Volébant autem, ut ego conjicio, quóniam super duodecim sedes sessuros discipulos audierunt, primátum hujus consensús impetráre; & præpóni quidem se cæteris sciebant; Petrum veró sibi præferri formidantes, dicere ausi sunt: Dic ut unus à dextris, alter à sinistris sédeat. Et urgent dicentes: Dic. Quid igitur ipse? Ut significaret eos nihil petere spiritale, sed nec scire quidem quid postulerent: non enim petere auderent, si scirent: Nescitis, ait, quid petátis: nescitis quám magnum hoc sit, quám mirábile, ac ipsas superiores excédens virtutes.

R. Iste est, qui ante álios Apóstolos primus plantávit Ecclésiám sanguine suo: Cujus corpus in Galilæam delátum, per totum orbem glóriá illustrátur. **P.** O sidus, ó decus Hispaniæ, Sancte Jacóbe Apóstole, intercede pro nobis ad Deum qui te elegit. Cujus corpus. Glória Patri. Cujus corpus.

Si Dominica (aut dies in quo ad formam Brevariij fit de ea) venerit isto die, nona Lectio legitur de Homilia Dominica.

Lectio ix.

Et adjécit: Potestis bibere cálicem, quem ego bibitúrus sum; & baptismo, quo ego baptizor, baptizari? Perpéndis, quomodo statim ab hac opinione ipsos remóvit, contrária eis disserens. Nam vos, inquit, de honoribus & de coronis mecum ágitis: ego veró de lactamine atque sudóre dissero. Non præmiorum hoc tempus est, nec illa glória mea modo apparébit: sed cadis ac periculórum tempus præsens est. Perscipe autem qualiter ipso interrogatiónis modo, & hortátur & álicit. Non enim dixit:

Potestis eadem subire, potestisne vestrum effundere sánguinem? sed, Quonam pacto potestis bibere cálicem? Deinde áliciens inquit: Quem ego bibitúrus sum: ut ipsá cum eo communicatióne laborum promptiores redderéntur.

Te Deum laudámus. 13.

AD LAUDES.

& per Horas, Antiphona.

Accéssit ad Jesum mater filiorum Zebedæi cum filiis suis, adorans & petens aliquid ab eo. **Psalm.** Dóminus regnávít, cum reliq. de Dominica. 14. **Añs.** Dic, ut sédeant hi duo filii mei, & unus ad dexteram tuam, & filius ad sinistram in regno tuo. **Añs.** Potestis bibere cálicem, quem ego bibitúrus sum? Dicitur ei: Póssumus. **Añs.** Cálicem quidem meum bibétis: sedere autem ad dexteram meam & ad sinistram, non est meum dare vobis, sed quibus parátum est ab Patre meo. **Añs.** Quicumque volaverit inter vos major fieri, sit vester minister.

Capitulum. 1. Cor. 4. b.

Fratres, Puto quód Deus nos Apóstolos novissimos osténdit, tanquam morti destinátos: quia spectaculum facti sumus mundo, & Angelis, & hominibus.

Hymnus.

Jesu salus mortálum, Nobis ades, dum dicimus Laudes Patróni Hispaniæ, Tuam canentes glóriam. Laudámus hic est unice, Quód primus in certamine Apóstolis ex ómnibus Pro te profudit sánguinem. Tui beatus pluribus Notis amoris máximi: Quód testis usque intérfuit Reconditis mysteriis: Seu vi poténtis dextera Surgit Jairi filia, Quando in patris aedibus

Est

Est excitata ab inferis:
Seu vultus, ut sol, splendidus,
Et vestis, ut nix, candida,
Thaboris alto in vertice
Signum tue dant glorie:
Seu monte olivis cõsuito,
Angõris est index tui
Sudor, tuo de corpore
Ceu gutta manans sanguinis.

Jesu, tibi sit gloria.

Qui natus es de Virgine,
Cum Patre, & almo Spiritu,
In sempiterna secula.
Amen.

¶ Annuntiaverunt opera Dei.

¶ Et facta ejus intellexerunt.

Ad Benedictus, Antiphona.

Visitavit nos persanctum suum
Apostolum, & fecit salutem de inimicis nostris, Dominus Deus noster.

Oratio.

DEus, qui dispositione mirabili
corpus beati Jacobi Apostoli
tui de Jerosolymis ad Hispaniam
transferris, & in Compostella gloriõse
sepeliri voluisti: concede quaesumus;
ut ejus meritis & precibus in
caelesti Jerusalem collocari mereamur.
Per Dominum, &c.

Et sunt Commem. juxta Rubricam
superius positam in j. Vesperis.

Ad Tertiam, Antiphona. Die, ut
sedecant. Capitulum. Fratres, Puto
quod Deus. ut supra.

¶ **br.** In omnem terram Extitit
sonus eorum. In omnem. ¶ Et in
finibus orbis terrae verba eorum. Extitit.
Gloria Patri. In omnem. ¶ Constituit
eos principes super omnem
terram. ¶ Memores erunt nominis
tui Domine.

Ad Sextam, Antiphona.

Potestis bibere calicem.

Capitulum. 1. Cor. 4. c.

Nos stulti propter Christum, vos
autem prudentes in Christo:
nos autem firmi, vos autem fortes: vos
nobiles, nos autem ignobiles.

¶ **br.** breve. Constitues eos principes
Super omnem terram. Constitues.
¶ Memores erunt nominis tui Domine.
Super. Gloria Patri. Constitues.
¶ Nimis honorati sunt amici
tui Deus. ¶ Nimis confortatus est
principatus eorum.

Ad Nonam, Antiphona.

Quicumque voluerit.

Capitulum.

1. Cor. 4. d.

Nam si decem millia pedagogorum
habeatis in Christo,
sed non multos patres. Nam in Christo
Jesu per Evangelium ego vos
genui.

¶ **br.** breve. Nimis honorati sunt
Amici tui Deus. Nimis. ¶ Nimis
confortatus est principatus eorum.
Amici. Gloria Patri. Nimis.

¶ Annuntiaverunt opera Dei.

¶ Et facta ejus intellexerunt.

Ad Vesperas, Antiphona. Tecum
principium, cum reliquis Antiphonis
& Psalmis de Nativitate. 184.

Capitulum & Hymnus, ut in primis
Vesperis. 29. ¶ Annuntiaverunt
opera Dei. ¶ Et facta ejus intellexerunt.

Ad Magnificat, Antiphona.

O beatum Apostolum, qui inter primos
electus, primus omnium Apostolorum
Domini calicem bibere meruit! O gloriosum
Hispaniae regnum, tali pignore ac patrono
munatum, per quem fecit illi magna, qui
potens est, alleluia.

Oratio, ut supra.

Et sunt Commemorationes Octavarum
post Commemorationem Dominicæ,
(si facienda sit juxta superiorem
Rubricam.)

FESTA JANUARI.

DIE XVI. JANUARI.

In Festo Sancti Fulgentii Episcopi
& Confessoris. Duplex.
Omnia de Comuni Confessoris
Pontificis, xli. præter ea quæ hic
sunt propria.

Oratio.

Oratio.

EXaudi, quaesumus Domine, preces
nostras, quas in beati Fulgentii
Confessoris tui atque Pontificis
solemnitate desideramus: & qui tibi
digne meruit famulari, ejus intercedentibus
meritis, ab omnibus nos absolvet
peccatis. Per Dominum, &c.
In primo Nocturno, Lectiones de
Scriptura occurrente.

In secundo Nocturno.

Lectio iv.

Fulgentius Hispanus ex nova
Carthagine, Severiano patre
ejusdem Provinciae Duce genitus,
Sanctorum Leandri, Isidori, &
Florentinae germanus frater, a pueritia
cum morum honestate esset instructus,
ætate provectior, omni virtutum genere,
& sacrarum quoque litterarum eruditione aedonituit,
ut Doctoris illustris titulum
apud Hispanos fieri assecutus. Cujus
rei illud quoque argumentum est,
quod egregius idem Doctor Isidorus,
qui ab eo fuerat educatus, & piis
documentis imbuitus, libros de
Ecclesiasticis officiis, in quibus de
universis mysteriis, quæ in Ecclesia
celebrantur, ac de originibus
officiorum Ecclesiasticorum disserierat,
ipsi sanctissimo fratri sacrae
discipline amantissimo dedicavit.

¶ Inveni David servum meum, oleo
sancto meo unxi eum: Manus enim
mea auxiliabitur ei. ¶ Nihil proficiet
inimicus in eo, & filius iniquitatis
non nocet ei. Manus enim.

Lectio v.

Sed nihil ad Fulgentii commendationem
illustrius, quam ipsorum quoque
hostium gravissimum de eo prolatum
testimonium. Cum enim Leovigildus
Gothorum Rex sororis ejus Arianae
haeresi infectus, post patræ filii
sui Sancti Hermenegil-

di eadem, infirmitate acriter torqueretur,
flagitii poenitentia ductus, licet non ea
quæ par erat ad salutem obtinendam,
Reccaræ filio suo præcepisse dicitur,
ut Leandrum, & Fulgentium, qui in
doctrina Ecclesiastica insigniter clarebant,
tamquam Patres audiret, & eorum
monitis obtemperaret. Id vero a
Reccaræ cumulate præstitum fuisse,
tota Gothorum gens ad veram
fidem perducta, & Ariana perfidia
in Concilio Toletano tertio ab
universo Regno abjurata, luculentissime
testantur.

¶ Põsul adjutorium super potentem,
& exaltavi electum de plebe mea:
¶ Manus enim mea auxiliabitur ei.
¶ Inveni David servum meum
oleo sancto meo unxi eum. Manus enim.

Lectio vj.

EPiscopus creatus, Astigitanum,
& Carthaginensem miro zelo,
& exemplo gubernavit Ecclesias.
Toletanae Synodo interfuit, sub
Rege Gundemaro, itidemque
Hispaniensis secundo, in cujus actis
nonnulla sua Ecclesiae jura legitur
vindicare. Denique ab incipientiae
vitae instituto non recedens,
& forma factus grægis ex animo,
cum pietate in Deum, pastorali
in subditos vigilantia, aliisque
sanctis operibus vitam religiosissimè
transegisset, virtutibus ac
meritis plenus, nec sanctitate minus,
quam doctrinæ famâ illustris,
obdormivit in Domino. Eum
Diocesis Carthaginensis, & Placentina
ut primarium suum colunt Patronum.
Sacrae ipsius, & Florentinae sororis
reliquiae, sub Alphõno Undecimo in
Berzocano oppido inventæ, ac postea
divisæ, partim in eadem Placentina
Diocesi, partim Mærcia-

mag-